EMENDATUR PLATONIS PHAEDO C. VI P. 62 A.

Haud ita raro fieri potest ut quae in facilioribus veterum scriptorum locis vitia latent ea non tam celeriter animadvertamus quam quae in obscurioribus inveniuntur. Nam quae tamquam plano undique apertoque campo sine ullo inpedimento decurrunt et plena ut ita dicam perspicuitatis luce conlustrantur leviter plerumque pervolantes ne eis quidem semper offendimur in quibus manifesta depravationis indicia deprehenduntur. At ubi difficultate aliqua suspitio animis hominum iniecta est et dubitatio, statim inmoratur cogitatio et omnia pervestigat neque prius absistit quam omnes sint latebrae reclusae et quae obscura videbantur ex umbra et tenebris in lucem protracta. Quamquam igitur rarius aliquanto evenit ut in difficilioribus locis menda maculasque verbis scriptorum adspersas non sentiamus, tamen id quoque interdum accidit, et tum maxime, cum praeclarus aliquis antiquitatis interpres data opera verborum ambiguitatem inlustrare conatus est idque officium bene recteque exsecutus esse et sibi et aliis videtur. Tum saepissime, quae est naturae humanae segnitia, in eis quae ille invenisse sibi visus est adquiescimus, vel si quid dubitationis haeret, facillimo id solacio consolamur, inritum et inutile opinantes ea retractare quae maius nostro subtiliusque ingenium ad perfectionem perducere non potuerit.

Id ipsum in loco quodam Phaedonis Platonici, p. 62 A, factum est, ubi Socrates quaerens num liceat homini se ipsum interficere, si editionum nostrarum fidem sequimur, *ἴσως μέντοι*, inquit, *θαυμαστόν σοι φανεῖται, εἰ τοῦτο μόνον τῶν ἄλλων ἁπάντων ἁπλοῦν ἐστι καὶ οὐδέποτε τυγχάνει τῷ ἀνθρώπῳ ὥσπερ καὶ τἄλλα ἔστιν ὅτε καὶ οἷς βέλτιον τεθνάναι ἢ ζῆν. οἷς δὲ βέλτιον τεθνάναι, θαυμαστὸν ἴσως σοι φαίνεται, εἰ τούτοις τοῖς ἀνθρώποις μὴ ὅσιόν ἐστιν αὐτοὺς ἑαυτοὺς εὖ ποιεῖν, ἀλλ' ἄλλον δεῖ περιμένειν εὐεργέτην.* Libri mss. non nihil variant, sed nusquam ita, ut inde emendatio loci peti posse videatur.

Haec verba postquam Heindorfius ita interpretatus est '*fortasse tamen mirum tibi videbitur, si hoc unum de ceteris omnibus simpliciter verum sit et sine ulla exceptione* (sc. mori melius esse quam vivere) *neque umquam accidat ut, quemadmodum in ceteris omnibus rebus, interdum et aliquibus hominum* (non semper neque omnibus) *satius sit mori quam vivere: quibus autem satius est mori, mirabere fortasse, si eisdem nefas sit sibimet ipsis bene facere*' cet., sic igitur postquam Platonis locum interpretatus est Heindorfius, tantum omnium hominum et doctorum et semidoctorum nanctus est plausum et adprobationem, ut nemo iam sententiam loci accuratius examinare voluerit, sed uno animo cuncti tanti viri auctoritate omnes difficultates sublatas esse gauderent. Quin etiam metuisse mihi quidem videntur, ne si in loco difficillimo interpretando ab hominis graecae dictionis peritissimi iudicio declinavissent, graece non satis intellegere ipsi viderentur et in ignorantiae suspitionem incurrerent.

Atque ego quidem Heindorfi memoriam ipse quoque qua par est veneratione prosequor: nam est profecto ex paucissimorum illorum numero qui adsidua et diligentissima veterum scriptorum lectione sermonis graeci proprietatem paene ad perfectionem perdidicerunt. In hoc tamen Platonis loco, ut evenit hominibus etiam doctissimis, sine dubio erravit, multoque melius fecisset, si illa verba numquam adtigisset: nam tantopere eius auctoritas omnibus qui post eum Platonem legerunt et interpretati sunt inposuit et fraudi fuit, ut in verba eius iuraverint et pro sano habuerint quod sanum esse non potest. Veluti Stallbaumius et is qui Stallbaumi editionem post mortem eius iteravit omisso omni meditandi labore nihil aliud quam Heindorfi interpretationem descripserunt adiectis quibusdam tironum in usum ad illius sententiam firmandam et luculentius explicandam adnotatiunculis, hunc in modum: '*ἁπλοῦν* est *id quod simpliciter et sine exceptione verum est*, *absolut wahr*, ut docent verba deinceps addita'; porro 'haec autem *καὶ τἆλλα* idem significant quod *καὶ κατὰ τἆλλα*', quae falsa est interpretatio[1]); deinde '*ἔστι* non solum cum *ὅτε* conectendum est sed etiam cum *οἷς*, ita ut *ἔστιν οἷς* idem sit quod *ἐνίοις*'; denique 'ne quis post *βέλτιον* participium *ὂν* interponendum esse putet' quo scilicet inclinaverat Heindorfius, 'verbum *τυγχάνειν*

---

1) *τἄλλα* enim nominativus est: *τοῦτο οὐ τυγχάνει τοῖς ἀνθρώποις ἔστιν ὅτε καὶ οἷς βέλτιον ὄν, ὥσπερ καὶ τἄλλα τυγχάνει ἔστιν ὅτε καὶ οἷς βελτίω ὄντα.*

etiam sine participio usurpatum esse hodie satis constat', tamquam tales argutiae non etiam Heindorfi temporibus notissimae fuerint.

At falsam esse universam Heindorfi explanationem et verba illa sicuti hodie leguntur a Platone scribi non potuisse luculentissime, ut spero, demonstrabo.

Ac primum quidem adtingenda certe est quaestio, quae mihi difficillima et admodum dubia videtur, possitne factum esse ut Plato hoc loco *εἰ — οὐδέποτε* poneret pro *εἰ μηδέποτε*. Provocavit quidem novissimus Platonis Stallbaumiani editor ad Kruegeri gramm. 67, 4, a. 1, et praeter exempla ab illo commemorata magnum aliorum numerum invenies apud Hermannum ad Vigerum (309 p. 833) et in adnotationibus ad Medeam Elmsleianam (p. 344 et 361 ed. Lips.), deinde apud Schoemannum ad Isaeum 6, 2, apud Popponem et Kruegerum ad Thucydidem 1, 121, denique apud Buttmannum in gramm. gr. § 148, 2, b*), Madvigium in syntaxi gr. § 202 adn., apud Hartungium de part. serm. gr. II p. 122 et Baeumlinum de part. p. 278. 298: sed plurima eorum ab eo de quo agimus loco prorsus diversa esse primo adspectu intelleges, quoniam in eis *οὔ* et *μή* nisi cum magno sententiae discrimine inter se permutari non possunt[1]). Sed sunt etiam pauca quaedam eaque ad loci Platonici rationem multo propius accedunt, ubi utraque negatio non plane quidem eodem sensu, attamen paene pariter apte ponatur. Veluti trag. anonym. fragm. (adesp. 55 Nauck. ed.): *εἴπερ γὰρ οὐδὲ τοῖς κακῶς δεδρακόσιν ἀκουσίως δίκαιον εἰς ὀργὴν πεσεῖν, οὐδ' ἢν ἀναγκασθείς τις εὖ δράσῃ τινά, προσῆκον οἶμαι τῷδ' ὀφείλεσθαι χάριν.* Xen. Cyr. 2, 2, 3: *τῶνδε οὐδὲν ἴσον ἐστίν, εἴ γε ἀφ' ἡμῶν γε τῶν ἐν μέσῳ οὐδεὶς οὐδέποτε ἄρξεται.* Soph. Ai. 1241: *πικροὺς ἔοιγμεν τῶν Ἀχιλλείων ὅπλων ἀγῶνας Ἀργείοισι κηρῦξαι τότε, εἰ πανταχοῦ φανούμεθ' ἐκ Τεύκρου κακοί, κοὐκ ἀρκέσει ποθ' ὗμιν οὐδ' ἡσσημένοις εἴκειν.*

[1]) Quid intersit inter *εἰ* (*ἐὰν*) *μή* et *εἰ οὔ* in talibus sententiis, mea quidem sententia optime explanavit Baeumlinus de partic. p. 289 haec praecipiens: '*Im ersten Falle* (*εἰ μή*) *hat die Annahme selbst einen negativen Charakter; bei εἰ-οὔ ist die Annahme an und für sich positiv, und οὔ gehört nur zu einem einzelnen Begriff, der in sein Gegentheil verwandelt werden soll*'. Itaque Isocrates vel quisquis primam earum orationum quae nomine eius inscribuntur composuit, cum dicit (1, 44) *καὶ μὴ θαυμάσῃς, εἰ πολλὰ τῶν εἰρημένων οὐ πρέπει σοι πρὸς τὴν νῦν παροῦσαν ἡλικίαν*, hoc significat: 'noli mirari, Demonice, si eveniat ut multa eorum quae tibi dico ad tuam aetatem non sint accommodata'; *εἰ μὴ πρέπει* si dixisset, haec oriretur sententia: 'noli mirari, si non eveniat ut multa ad tuam aetatem sint accommodata'; ubi statim senties non *πολλά*, sed *πάντα* dicendum fuisse: 'si non accidat, ut omnia aetati tuae conveniant'.

Quae cum ita sint, certum quidem argumentum ex hoc negationis usu duci non posse videtur: attamen ut Platonem hic ea ratione usum esse non credam, ipsius Platonis auctoritate commoveor, non tam propterea quod ceteroquin apud eum nusquam quod sciam negationis *οὐ* cum *εἰ* sociatae exempla inveniuntur (nam ea quae leguntur apol. 25 B. Cratyl. 424 A. de rep. 5, 451 D et similia huc non pertinent), quam quia paullo post de eadem re et eodem plane sensu dixit: *θαυμαστὸν ἴσως σοι φαίνεται, εἰ τοῖς ἀνθρώποις μὴ ὅσιόν ἐστιν αὐτοὺς ἑαυτοὺς εὖ ποιεῖν.*

Sed quoniam haec quidem quaestio *ad liquidum confessumque perduci* non potest, a re incerta ad certas nos convertamus et accuratius consideremus, quid tandem philosophum in primis sagacem et acutum dicentem faciat librariorum neglegentia. Nimirum Socrati secundum horum opinionem mortem esse vita praestabiliorem non solum verum est et exploratum, sed solum omnium simpliciter et sine ulla exceptione verum: *μόνον τῶν ἄλλων ἁπάντων ἁπλοῦν ἐστι.* Qua in re vereor ne incautioribus fraudem facere possit Heindorfi interpretatio, qui obscurata paullulum loci sententia verba latine ita reddidit: '*mirum tibi videbitur, si hoc unum de ceteris omnibus simpliciter verum sit*'. Nempe latine cum dicitur aliquis unus omnium iustissimus esse (graece *εἷς*, non *μόνος*, *πάντων δικαιότατος*, ut Soph. Ai. 1340: *ἕν' ἄνδρ' ἰδεῖν ἄριστον Ἀργείων*, cf. Krueg. gr. 49, 10, a. 5), is non dicitur unus iustus, reliqui iniusti esse; sed quamquam etiam alii sint iusti, tamen ille de quo agitur dicitur vel omnium horum iustorum hominum iustissimus esse. Ita cum Heindorfius pro verbis *μόνον ἁπάντων* posuerit *hoc unum de ceteris omnibus* (graece *ἕν*, non *μόνον τῶν ἄλλων ἁπάντων*), potest certe inde quamvis invito ipso ea effici sententia, ut etiam alia posse simpliciter vera esse dicantur, hoc tamen inter illa ipsa maxime omnium simpliciter verum esse. At haec sententia ab iis de quibus agimus verbis prorsus aliena est; nam *μόνον τῶν ἄλλων ἁπάντων* nihil aliud significat quam hoc: mortem vita esse praestabiliorem *solum* simpliciter et sine exceptione verum est, nec praeter hoc quidquam potest aliud simpliciter et sine exceptione verum esse. Quod si re vera Socrates Platonicus dixit, iam illa omnia quae sexcentiens et apud Platonem et apud Xenophontem contendit simpliciter vera esse, veluti solum quod bonum sit hominibus semper etiam honestum et utile esse, omnem virtutem unam esse, virtutem rerum vere adpetendarum fugiendarumque cognitione contineri, veram fortitudinem esse non posse nisi in sapiente, haec omnia

iam non erunt Socrati vel si mavis Platoni simpliciter et sine condicione vera, sed illa quam diximus sententia sola. Id quod simpliciter adparet et absolute ineptum esse.

Deinde ne illud quidem omittendum est, quo iure Socrates dicere potuerit mortis beneficium, quamquam sit beneficium, *his* hominibus (*τούτοις τοῖς ἀνθρώποις*, Heindorfius non recte 'eisdem') non licere in se ipsos conferre, sed alium esse qui id faciat exspectandum. Dixerit quispiam, nec prorsus inepte dixerit, *hos homines* esse philosophos, qui quoniam ceteris hominibus puriorem verioremque habeant rerum cognitionem, rectius reliquis etiam mortis vitaeque naturam norint et aestiment; et propterea Socratem recte dixisse ne his quidem hominibus licere mortis beneficio se ipsos adficere. Sed ut praetermittam, si hoc voluisset Plato, dicendum fuisse *θαυμαστόν σοι φαίνεται, εἰ μηδὲ τούτοις τοῖς ἀνθρώποις ὅσιόν ἐστιν αὐτοὺς ἑαυτοὺς εὖ ποιεῖν*, ista opinio et verbis Platonis et ipsa sententia refellitur. Nam supra dixerat *οὐδέποτε τυγχάνει τῷ ἀνθρώπῳ ἔστιν ὅτε καὶ οἷς βέλτιον τεθνάναι ἢ ζῆν*, h. e. numquam fortuito homini accidit ut interdum tantum et *aliquibus* praestabilius sit mori (vel mortuos esse) quam vivere, sed omnibus et semper mors vitae praeferenda est; et praeterea totius loci sententia flagitat, ut non philosophis vel alii cuidam hominum generi sed omnibus quotquot et sunt et erunt tamquam divinitus imperetur, ne quis sibi sua manu mortem consciscat. Quae si vera sunt, verba a librariis nobis tradita ita tantum recte se haberent, si fieri posset, ut haec *τούτοις τοῖς ἀνθρώποις* non artius inter se conectenda, sed *τοῖς ἀνθρώποις* pro adposito quod hodie dicunt (his, h. e. hominibus) habendum esse statueremus. Sed ne id quidem fieri potest: nam admodum molesta neque ullo modo Platonica sic exsisteret oratio; cum enim *τούτοις* per se satis intellegatur, id adposito inlustrare paene putidae est et prorsus inutilis diligentiae.

Itaque cum altera pars operis nobis propositi confecta demonstratumque sit eum de quo agimus locum non integrum ad nostram memoriam pervenisse, iam videamus quid ex iis quae adhuc disputavimus ad veram Platonis orationem restituendam efficiatur. Et primum quidem, cum verba *εἰ... οὐδέποτε τυγχάνει.... ζῆν* inter se coniuncta et necessariae loci sententiae repugnent et rationi grammaticae repugnare videantur, sequitur ut illa non uno enuntiato comprehendamus, sed in duo dispertiamus; deinde cum Socratis praecepto non philosophi soli vel unum aliquod hominum genus, sed omnes omnino homines mortem sibi ipsi inferre vetentur, sequitur ut et in verbis

τούτοις τοῖς ἀνθρώποις et in eo quod paullo ante positum est *οἷς* vitium latere statuamus.

Sed singula accuratius consideremus. Solum omnium et sine exceptione verum videri mortem vita esse praestabiliorem Plato, nisi forte data opera nugari voluit, dicere non potuit: quid igitur aliud ab omnibus sui generis rebus ita segregavit, ut cum reliqua semper communi quodam vinculo contineri diceret, hoc unum longe ab illis distare aliamque prorsus rationem sequi contenderet? Universam sententiam si diligenter et adtente perpenderis, nulla opinor residebit dubitatio. Disputat Socrates de morte voluntaria et quam nefaria et inpia ea sit exponit: mortem quidem dicit non solum philosophis qui rerum pretia recte aestiment, sed omnibus omnino hominibus, etiam eis qui eam tamquam summum omnium malorum reformident, bonum esse maxime expetendum multoque praestantiorem vita, quam plurimi perperam rebus omnibus longe anteponant. Attamen quamquam in ceteris rebus hominibus fas sit sibi aliisque bene facere, in hac re una deos interdicere ne mortis beneficium ipsorum iniussu in se conferant, sed certa demum benevolorum dominorum voluntate explorata laeto animo ex hac vita decedant. Beneficia igitur Socrates ita inter se discernit, ut plurima quidem dicat licere hominibus in se et alios conferre; unum vero esse ab omnibus reliquis beneficiis quasi segregatum et ita comparatum, ut homo pius et religiosus numquam eo pro suo arbitrio se ipse adficere, sed semper deorum de eius opportunitate significationem exspectare debeat; hoc unum beneficium natura sua ac vi a ceteris beneficiis omnibus diversum mortem esse.

Haec si recte disputavimus, iam adparebit perverse eos egisse qui post verba *βέλτιον τεθνάναι ἢ ζῆν* plene interpunxerunt, qua re mirum est quantopere obscuretur singulorum enuntiatorum (*ἴσως μέντοι θαυμαστόν σοι φανεῖται — περιμένειν εὐεργέτην*) artissime inter se cohaerentium et unum verborum ambitum efficientium coniunctio et conligatio; adparebit etiam verba *εἰ τοῦτο μόνον τῶν ἄλλων ἁπάντων* non eodem enuntiato comprehendenda esse cum proximis *ἁπλοῦν ἐστι καὶ οὐδέποτε τυγχάνει βέλτιον*, sed cum eis quae paullo post secuntur *τοῖς ἀνθρώποις μὴ ὅσιόν ἐστιν αὐτοὺς ἑαυτοὺς εὖ ποιεῖν*: hoc enim dicit, mirum esse quod cum mors omnium bonorum sit omniumque beneficiorum summum, tamen nefas sit hominibus hoc unum in se ipsos conferre. Itaque confestim etiam hoc patet, alterum illud *θαυμαστὸν ἴσως σοι φαίνεται εἰ κτλ.* nihil esse nisi iterationem eorum quae supra legebantur *ἴσως*

μέντοι θαυμαστόν σοι φανεῖται, adiectam illam quidem a scriptore eo consilio, ut post interpositionem de qua mox videbimus (ita enim Quintilianus interpretatus est quam Graeci *παρένθεσιν* dicunt) rursus ad exordium rediret oratio omnisque sententiae obscuritas in circuitu verborum aliquanto longiore evitaretur.

Iam vero si verba *εἰ τοῦτο μόνον τῶν ἄλλων ἁπάντων* ab eis quae continuo secuntur *ἁπλοῦν ἐστι καὶ οὐδέποτε τυγχάνει τῷ ἀνθρώπῳ ὥσπερ καὶ τἆλλα ἔστιν ὅτε καὶ οἷς βέλτιον τεθνάναι ἢ ζῆν* seiungenda esse constat, quo tandem haec ipsa pertineant tuo iure quaeres. Et si per se ea, non coniuncta cum aliis consideraveris, facillima esse ad intellegendum invenies, hoc fere sensu: simpliciter et sine ulla condicione verum est mortem homini vita praestabiliorem esse, neque umquam ut in aliis rebus evenit, ut hoc quibusdam tantummodo temporibus et in quibusdam hominibus adpareat, sed est absolute et sine ulla adiunctione verum. Quae sententia ut universae Socratis disputationi optime convenit, ita tamen in ea quam librarii nobis tradiderunt orationis conformatione omni iam et cum eis quae ante leguntur et cum eis quae secuntur verbis coniunctione caret: qua ipsa coniunctione oblitterata effectum esse existimo ut paullatim etiam cetera leviter depravarentur. Nihil aliud autem excidisse videtur quam particula *γάρ*, quae cum in libris mss. saepissime non suis litteris sed nota quadam compendiaria exprimi soleat, quam facile potuerit omitti nihil est quod moneam. Eam si restitueris, verba neglectis ad tempus eis de quibus separatim dicendum erit haec habes: *ἴσως μέντοι θαυμαστόν σοι φανεῖται, εἰ τοῦτο μόνον τῶν ἄλλων ἁπάντων* (*ἁπλοῦν γάρ ἐστι* [1]) *καὶ οὐδέποτε τυγχάνει τῷ ἀνθρώπῳ ὥσπερ καὶ τἆλλα ἔστιν ὅτε καὶ οἷς βέλτιον τεθνάναι ἢ ζῆν*)....*τοῖς ἀνθρώποις μὴ ὅσιόν ἐστιν αὐτοὺς ἑαυτοὺς εὖ ποιεῖν, ἀλλ' ἄλλον δεῖ περιμένειν εὐεργέτην*. Ubi facile intellegis *τοῦτο μόνον τῶν ἄλλων ἁπάντων εὖ ποιεῖν* eodem sensu dici atque *τοῦτο μόνον τὸ εὐεργέτημα τῶν ἄλλων εὐεργετημάτων ἁπάντων ἑαυτοὺς εὐεργετεῖν*, de qua dicendi ratione, si opus est, cf. Kruegerus gr. gr. § 46, 11 c. adn. 2. Particula *γάρ* autem spectat ad verba *θαυμαστόν σοι φανεῖται*, h. e. mirum hoc tibi videbitur, quod mortem sibi inferre non liceat: nam simpliciter et sine adiunctione verum est mortem vita esse praestabiliorem.

Atque his ita expeditis etiam reliqua apte commodeque absolvi

[1]) Erunt fortasse qui malint *καίτοι ἁπλοῦν ἐστι κτλ.*, sed id mihi quidem minus veri simile videtur.

posse confidimus. Nam si certum est etiam de Socratis sententia non quibusdam hominibus vel uni alicui hominum generi interdictum fuisse sed omnibus omnino, ne mortem sibi ipsi consciscerent; si praeterea certum est vocibus *θαυμαστὸν ἴσως σοι φαίνεται* nihil contineri nisi iterationem exordii supra incohati *ἴσως μέντοι θαυμαστόν σοι φανεῖται κτλ.*, non solum corrupta esse concedes verba *τούτοις τοῖς ἀνθρώποις*, sed etiam quomodo emendanda sint sine mea admonitione senties. Repetenda enim est emendatio a Platone ipso, qui ut supra posuit *θαυμαστόν σοι φανεῖται εἰ τοῦτο μόνον κτλ.*, sic etiam hic sine dubio scripsit *θαυμαστὸν ἴσως σοι φαίνεται, εἰ τοῦτο* (*τὸ τοῦ θανάτου εὐεργέτημα*) *τοῖς ἀνθρώποις μὴ ὅσιόν ἐστιν αὐτοὺς ἑαυτοὺς εὖ ποιεῖν.*

Denique ut vitiosum *τούτοις* (pro *τοῦτο*) ortum est ex voce *τοῖς ἀνθρώποις*, sic ex *τούτοις τοῖς ἀνθρώποις* vel etiam ex eo quod paullo ante legitur *ἔστιν ὅτε καὶ οἷς* natum est alterum illud *οἷς* (*δὲ βέλτιον τεθνάναι*), pro quo Plato, nisi coniectura me fallit, nihil aliud posuit quam *εἰ δὲ βέλτιον τεθνάναι.*

His igitur emendationibus, quae minime violentae videntur, receptis hunc in modum Plato scripsisse videbitur: *ἴσως μέντοι θαυμαστόν σοι φανεῖται, εἰ τοῦτο μόνον τῶν ἄλλων ἁπάντων* (*ἁπλοῦν γάρ ἐστι καὶ οὐδέποτε τυγχάνει τῷ ἀνθρώπῳ ὥσπερ καὶ τἆλλα ἔστιν ὅτε καὶ οἷς βέλτιον τεθνάναι ἢ ζῆν*), *εἰ δὲ βέλτιον τεθνάναι, θαυμαστὸν ἴσως σοι φαίνεται, εἰ τοῦτο τοῖς ἀνθρώποις μὴ ὅσιόν ἐστιν αὐτοὺς ἑαυτοὺς εὖ ποιεῖν, ἀλλ' ἄλλον δεῖ περιμένειν εὐεργέτην*, h. e. *atqui fortasse mirum tibi videbitur, si hoc solum de ceteris omnibus* (*nam absolute et sine adiunctione verum est neque umquam quibusdam tantummodo temporibus et quibusdam hominibus, sicut in reliquis rebus, accidit ut praestabilior sit mors quam vita*)*: sed si praestabilius est mortuum esse, forsitan mirum tibi videatur, si hoc hominibus nefas sit in se beneficium ipsos conferre, sed alium debeant qui id faciat exspectare.*

Berolini.

TH. KOCK.